



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Sacramentis in Genere, & duobus primis in specie

Bosco, Jean a

Lovanii, 1665

Deo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73340)



D E O.



UBITANTI aliquando mihi, ac studiosè mecum disquirenti, utrum hominibus studia mea consecrarem, opportunè occurrit, & véluti se ingessit devotissima oratio Sanctissimi P. N. Francisci: *Deus meus & omnia*. Quâ penitiùs introspectâ, haud diutius fluctuandum existimavi, sed illico cum Propheta Regio exclamandum: *Mibi adharere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.*

*Psalm. 72.
v. 28.*

Quis namque potest melius facere mihi Dominus aut servus? Dives aut pauper? Procul dubio tam Dominus, quàm Dives. Cur ergo relinquam pro servo Dominum, & pro paupere homine Divitem Deum? In te Domine speravi, non relinquam Te, *Deus meus & omnia*, in æternitum.

Igitur quantâ potest demissione animi filius Patri, servus Domino, & creatura Creatori, tantâ ego, minor nihilò, Te Deus alloquor, & in Te omnium perfectionum eminentem abyssum veneror & adoro. Ad Te confugio, & supplex tua numina posco. Te in Magistrum & Conductorem eligo, atque omnem doctrinam meam gratissimo animo in obsequium tuæ doctrinæ captivo: verba enim vitæ æternæ habes.

Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes: Vanitas vanitatum, & omnia Vanitas, præter amare Deum, & illi soli servire, à quo *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est*, qui non despicit deprecationem pauperis, sed dat omnibus affluenter sapientiam: *Utique his omnibus, qui sic petunt, & tantum petunt, quomodo & quantum res tanta petenda est.*

*Eccle. 1.
v. 2.*

*Jac. cap. 1.
v. 17.*

*D. Augustus
lib. de Nat.
& Grat. 6.
17.*

Peto Domine, utinam sic petam, & tantum petam, quomodo, & quantum res tanta petenda est: peto, inquam, sapientiam *Non hujus sæculi, neque Principum hujus sæculi, qui destruuntur*, sed sapientiam, de qua scriptum est: *Initium sapientie timor Domini.*

*1. Cor. 2.
v. 6.*

*Eccle. 1.
v. 16.*

*1. Joan. 4.
v. 18.*

*1. Cor. 13.
v. 4. 5. 6. &
7.*

Et amabo quæ illa? *Perfecta Charitas, quæ foras mittit timorem hujus sæculi & Principum hujus sæculi, qui destruuntur. Charitas, quæ non amulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambiciosa, non querit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem Veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.*

* 2

Hanc

Hanc sapientiam postulo à Te *Deus meus* & omnia; tu enim dixisti:
Jac. 1. v. 5. *Si quis vestrum indiget sapientiâ, postulet à Deo.* Ecce servus tuus inutilis
indiget sapientiâ.

1. Cor. 13. v.
1. 2. & 3. Nam *si linguis hominum loquar & Angelorum, Charitatem autem non
habeam, factus sum velut aes sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero
Prophetiam, & noverim mysteria omnia & omnem scientiam: & si habuero
omnem fidem, ita ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, ni-
hil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tra-
didero corpus meum ita ut ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil
mibi prodest.*

Hâc me dirige *Deus meus* & omnia, ut vivam doctius, hoc est, san-
ctius, ut moriar doctior, hoc est melior: nam licet ars bene vivendi &
bene moriendi sit obscura & difficilis, equidem ubi spiritus perfectæ
Charitatis Magister est, tam citò discitur, quam docetur. Hoc confi-
denter oro, hoc spero & polliceor, me tuam Majestatem & Bonitatem
gratiarum actione laudaturum, non solum quamdiu vixero, sed quam-
diu fuero.

D. August.
conc. 2. in
Phil. 7^o.

*In altis quidem Celi sunt, in altis Angeli sunt, in altis sancti homines
sunt, sed tibi non sibi debent quod sunt, tibi non sibi debent quod vivunt,
tibi non sibi debent quod justè vivunt, tibi non sibi debent quod beatè vi-
vunt. Quapropter hæc est & erit nostra omniumque Sanctorum homi-
num & Angelorum in conspectu Throni procidentium confessio: Bene-
dictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, &
fortitudo Deo nostro, in secula seculorum, Amen.*

Apoc. 7. v.
2^a.



LECTO